QVÆSTIO MEDICA,

CARDINALITIIS DISPVTATIONIBVS MANE DISCVTIENDA IN SCHOLIS MEDICORVM, DIE IOVIS IX. MENSIS APRILIS, MAGISTRO IOANNE HAVTIN, Doctore Medico Regio, Moderatore.

506

An Vomitus vt æstate, sic hyeme conducit?

VOMITVS, contentorum in ventriculo per os excretio est. Is vel criticus est, qui ferè per morborum initia, vel symptomaticus, qui potius in morborum fines cadit. Iam verò vel arte, emeticorum scilicet vi procuratur, vel naturæ sponte suscipitur: Ipsa tamen irritata vel copia graui, vel qualitate mordaci, siue illa ciborum fuerit, siue excrementitiorum humorum, quicumque illi fuerint, biliosi, pituitosi, ichorosi, in ipso ventriculo, vel geniti, vel à iecore, liene-ve in ipsum deriuati, vel à cerebro demissi: In quo, si qualia decet, & cum tolerantia excludantur, bonum: vt & si bilem pituitæ æqualiter mistam habeat.

PESSIMI sunt spontanei sinceriores, & merè biliosi, nec morbo analogi. Porracei, nigri, & liuidi, quicumque seorsim mali, si colores omnes vomitu reijciantur, perniciosum. Celerrimam verò mortem denuntiat ἔμετος liuidus & fœtens: est etiam lethalis & ruber, si maximè sit dolorificus. Vomitu non in tempestatum mutationibus vtendum, nec est admittendus in iis, qui sunt angusto thorace, & collo longo, quíque ad tabem parati sunt. Ex sinceris vomitionibus singultus malus, mala quoque conuulsio.

GRACILES & facilè vomentes oportet sursum purgare, metuentes hyemem; vt difficulter vomentes & modicè carnosos deorsum, timentes æstatem. Purgare quidem æstate superiores ventres magis, hyeme verò inferiores. Non febricitanti, si nausea, cardiωgmos, vertigo, & oris amaritudo adfuerint, purgatione per superiora egere significatur: Dolores supra septum transuersum, si cætera consentiant, purgatione per superiora indigent. Hinc vomitus biliosis magis quàm aliis temperaturis conuenit, & æstate potissimum, qua calidissimus hic humor in nostro corpore dominatur.

CVM enim celerrimos habeat motus, vbi vitium contraxit, morbis acutis (qui vel intercalaribus & indicibus, in quibus recidiuæ fieri solent, vel iudicibus, in quibus integræ fiunt solutiones, terminantur) efficiendis est opportunus: nam & causos, & pleuritides & peripneumonias producit, dum turget, ne ruat in partem nobilem, quò natura vergit, deducendus est per loca conferentia. Nihil inimicum naturæ retinendum, quod qualitate vel quantitate noxium est, statim expellendum, quo liberius & facilius functiones tam animæ quàm corporis obeantur.

QVIA tamen vt æstate bilis, sic hyeme plus pituitæ colligitur, hæc dum redundat & fluctuat in ventriculo, nauseam, inappetentiam, capitis grauitatem, torporem & veternum inducit, mentis functiones & debitas excretiones impediens: fluxiones facit & auget, totam denique naturæ œconomiam perturbat: nam & affectus grauissimos, quos præter modum aucta gignere solet, leucophlegmatiam, lethargum, apoplexiam, & similes morbos inuehit: quo fit vt etiam sursum expurganda veniat.

Ergo Vomitus vt æstate, sic hyeme conducit.



Asserebat Lutetiæ Nicolaus Drouin Cenomanensis. A. R. S. M. DC. XV.